



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

Hier. Fracastorii Alcon, siue de cura canum venaticorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846



HIER. FRACASTORII

ALCON

HIER. FRACASTORII

ALCON,

sive

de cura canum venaticorum.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



HIER. FRACASTORII

ALCON,

siue

de cura canum venaticorum.

ASSIDVIS nuper fessus venatibus Alcon,
 Falleret aestiui vt fastidia longa diei,
 Coruini quæ se nemora excelsissima cælo
 Extollunt, viridi dū captat frigus in vmbra,
 Dicitur ad iuuenem senior sic fatus Acastum.

Me segnes artus, defectaque viribus atas
 Et superare iuga, & latis discurrere campis,
 Et torquere leues hastas, & ferre pharetram,
 Nate, vetant, densaq. indagine cingere siluas.
 Sed te puluereum cursu transmittere campum
 Ferre æstum frigusque, leues agitare Molossos
 Et pinguem siluis ad tecta auertere prædam
 Nunc decet, ac validam pro me exercere iuuentam.
 En arcum pharetramq. tibi, jaculumq. relinquo:
 Ne tamen vsque adeo plena confide pharetra,
 Vt postrema canum interea tibi cura putetur:
 Quorum ope veloces poteris prauertere ceruos,
 Aut aprum ingentem, aut fuluum superare leonem,

Ergo age, & hac tecum semper mandata referua.

Principio vt generosa canum tibi copia nunquam

Desit, quæ certam valeat promittere prædam,

Elige degeneri nequaquam semine natos,

Sed quos assidue silus exercuit altis

Et labor indomitus, seuarum & præda ferarum.

Nec vero parui formamque genusque putaris:

Nam neque sunt animi, neque mores omnibus ijdem,

Et varia diuersa canum dant semina gentes.

Nam rabidas si forte feras te cura tenebit

Venari, & variis caput obiectare periculis,

Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa

Quære canes, Libycos illis, acresq. Britannos

Pannoniosque truces, & amantes prælia Celtas

Adde, nec Hyrcanos, nec feras sperne feroces.

Si vero paruos lepores, capreasque fugaces

Malueris, timidusque sequi per denia ceruos,

Delige Pannonios agiles volucresque Sicambros.

Quod tibi si latebras, abstrusaque lustra ferarum

Rimari certa catulorum indagine cordi est,

Hunc vsus implebit Perses & Saxogelonus.

At genere ex omni præsertim delige quæ nec

Corpore sit gracili, nec densis aspera villis,

Sed sublime caput, viuacia lumina & amplam

Ostendet frontem, atque ingentes oris hiatus:

Cui rectæ surgant aures, cui pinguia terga

Diuidat in caudam descendens spina reflexam:

Sint armi lati, sint æque pectora lata:

Lata alius, quæ sic costis adiungitur imis,

P ij

Vt tamen in spatium sensim se colligat arctum:
 Vt caua diductis succedant ilia costis,
 Excipiant siccis quas fortia crura lacertis.
 Ima pedum parua signent vestigia planta.
 Huic similem coniunge marem, cum vere repenti
 Tangit amor genus omne auium, genus omne ferarum.
 Bis quinas tamen ante dies accensus vterque
 In venerem, venere abstineant: sic plena libido
 Acrius exstimulat, viresque ad semina præbet.
 Hinc maior soboles, atque inde valentior exit.
 Que simul ac se se numerofo protulit ortu,
 Selige de multis quos iam præstare videbis
 Pondere: vel stipulae flammis include sonoris
 Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
 Egregiam sobolem, melioraque pignora mater
 Ocyus eripiet flammis & inertia linquet.
 Illi igitur plenis vbi nondum viribus ætas
 Accessit, paruum cursu conscendere collem,
 Et molli assuescant se se demittere cliuo.
 Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
 Sectari capream, & facilem percurrere campum
 Incipiat, verbisque viri parere vocantis.
 Nulla mora est, ipsis crescent cum viribus anni.
 Iam potes hos tuto densis committere siluis:
 Perque altos montes per lustra agitare ferarum.
 Nec minus aut apro, aut fuluo obiectare leoni:
 Si modo vel capreas, vel dedignabere ceruos.
 Immodicis tum parce cibus, tum cursibus illos.
 Exerce assiduis: ac mox ad tecta reuerti,

Vincla pati disceant: ita demum libera colla,
 Cum res ipsa, vsusque vocat, maiore feruntur
 Impete, nec cursum remoratur pigra sagina.

Hactenus in siluis catulos eduximus altis:
 Nunc qua morbosus sit cura adhibenda, docebo.
 Insomnes cum forte canes occulta fatigat,
 Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
 Ferro emitte leui: dein Bacchica dona rosarum
 Misce oleo, & rapidis simul omnia concoque flammis:
 Terque die inserto demitte in guttura cornu.
 Si vero nimio venandi langueat aestu,
 Butyro lapathi succos, Siculique Lyei
 Pocula, contusumque piper simul omnia miscens
 Prosubige: vt certi simul ac commixta liquoris
 Pratulerint speciem, cupido canis hauriat ore.
 Immodicam sed forte sitim dum subleuat atro
 Fonte canis, lymphæ mala si successit hirudo,
 Cimiceo suffire canem nidore licebit.
 Aut oleo ptisanam & spumanti melle subactam
 Incoquere, offensoque cani præbere vorandam.
 At cum tetra lues, clausos dixere, palatum
 Afficiet misere, siluestria sesama, nec non
 Bacchi acidos latices, & chartam sume perustam,
 Atque Ammoniaci frustum: dein singula in vnum
 Confundens, tetra causam superilline pestis.
 Tum vero, ardentem oculos inimica perurit
 Cum tabes, crebraque fluunt à lumine gutta,
 Iam frondes sacra myrti siluestris & vna
 Arentesque rosas diluto concoque Bacho,

Hisque affecta leuicitus abluo lumina dextra.
 Inde oleum, atque oui niueos immitte liquores.
 Quod si nativo stimuletur coxa dolore,
 Lemiulum lapidem, Meditem nomine dicunt,
 Vrina semel atque iterum demerge recenti:
 Cui Bacchi dulces, acidosque adiunge liquores,
 Quaque latet pestis sumta circumline penna.
 Ast vbi rupta nouo manabit sanguine vena,
 Tum murem geminum, ac telam pendentis arachnes
 Vre foco, cineremq. vndanti impone cruori:
 Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
 Obstructo vero lotij cum forte meatu
 Vexari aspicias catulum, cerealia dona
 Obijce lacte prius sima persusa capella.
 At contra venis si quando sanguis apertis,
 Pro facili vrina, terram madefecerit atram,
 Conueniet lente feruenti lactis abeno
 Mollire, & tenues coriandri immittere succos,
 Infractumque piper, laticemque vndantis oliui,
 Insertoque cani paulatim infundere cornu.
 Quid? taceam nimio cum decidit vngula cursu?
 Frangere namque iuuat pallentis grana cumini
 Dentibus, admotaque pedem lenire salua:
 Incipientq. noui subcrescere protinus vngues.
 Fit quoq. vt immundo catulus iuguletur ab astro:
 At tu siluestrem crepitantibus vrere rutam
 Ignibus, & fumo pariter mulcere salubri
 Disce: dehinc acri perfundere vulnus aceto,
 Quin aures etiam muscarum turba molesta

Impetit vsque adeo, mutilatum appareat alte
 Vt caput: ipse autem venienti occurre periclo,
 Et prius has nucibus viridiq. putamine tinge.
 Quid cum dura canes inter se praelia miscent
 Alter vt alterius percussus dente laboret?
 Tunc etenim cerui flammae subiecta voraci
 Ossa teres, oleo subigens frondentis oliua
 Vnguinis in morem, ac vulnus letale perungens:
 Quamquam etiam possis ramenta inducere ferri.
 Namque venenifero serpentis saucius ictu
 Quo valeat, scit sponte sua reperire salubre
 Gramen, & ipse sibi nullo auxiliante mederi.
 Senserit at rabidos vbi morsus, protinus ipse
 Idem ruta foliis acrique Lyao
 Iunge picem, laesaque adhibe haec medicamina parti.
 At mala cum scabies miseros depascitur artus
 Latrantum, & fide miserabile corpus adurit,
 Cerusam, abdomenque bouis, resinamq. tenacem,
 Butyrumque recens viridantibus incoque sensim
 Lentisci folius, infectaque membra perunge.
 Sed tunc praecipue sollerti mente cauendum est,
 Cum rabie accensus nunc hos nunc impetit illos,
 Ipsi infensus hero, datque insanabile vulnus.
 Ergo illum primo valida compeisce catena:
 Inde rosa agrestis radicem pondere saxi
 Contusam viui fontis consperge liquore,
 Vt potus speciem lino colata nigranti
 Praferat: hac sumpta reuocari ad pristina tradunt
 Senfa canem, ac posita rabie mitescere rursus.

Sunt qui siluestres ficus adipemque vetustum
 Contundant: ederas alij feruentibus vndis
 Emollire iubent, donec pars vna supersit
 Et tribus, atque ipsis foliis, tepidoque liquore
 Pascere quadrupedem aurora surgente furentem.
 Nil tandem vsque adeo prodest, ac prima sub ipsum
 Principium morbi rescindere semina ferro.
 Nam qua parte imo coniungi lingua palato
 Cernitur, & fauces, natio concolor auro
 Occupat, in rabiemq. feros agit vsque Molossos
 Vulnificus vermis, suffunditq. ora veneno.
 Quem si quis potuit ferro resecare, potentem
 Is tanti abstulerit causam, stimulumq. furoris.
 Quae superant, olim: nunc praedam ad tecta iacentem
 Ferre monet praesens fugientis temporis hora:
 Quandoquidem calamos posuit Corydallus acutos,
 Etiam sublustres inuectat luna tenebras.

FINIS.

Pag. 3. tuendus. 5. spelea. 9. Hippolyta. 15. sed non etiam addidit alas.
 22. Iulij. 30. Viribus atq. oneri integris. 36. dediscere nolite amcam. 37.
 Fringuillarj. 39. Stillicidj. 65. Pars ceptis superat. 87. quot sub manib. 96.
 Externoque doces. 105. semina sulcis. 115. nec Seras sperne.